

9257
1782, 29.
ORDINARIUS
D. CAROLVS GODOFREDVS
DE WINCKLER

N V N C

PROCANCELLARIUS

SOLENNIA IN AVGVRALIA CANDIDATI

F R I D E R I C I P R A S S E

AD VOC. SAX.

A. D. XXIV. JANVAR. A. MDCCCLXXXII.

IN AVDITORIO ICTORVM

CELEBRANDA INDICIT

INEST

COROLLARIUM IVRIS CRIMINALIS

QVINTVM.

ORDINARIA
D. CAROLUS GODOLPHUS
de WINCER

NAVN

PROCULITARIA

—BOZENNA — IN AVARIA — CARINIA —

FREDERICI TRAVERSAE

—MELITA — LEBANON — ALEXANDRIA —

—D. ZEPHYRUS — TANAR — MDCCCLXXXII.

IN AVADITORIO I COTORUM

—SILENTIA — SILENTIA —

IN ESTATE

COROLLARIUM IARIS CRIMINALIS

QAVINTVM

COROLLARIUM QVINTVM *).

*De crimine, aduersus constitutionem Saxoniam de rebus con-
creditis commisso, ad Mandatum de ea re
d. 17. Dec. 1767. promulgatum.*

En singularem titulum delicti, cui peculiare nomen deesse
putamus. Etenim crimen residui et peculatus, de qui-
bus leges Iuliae extant V. ANTON. AVGVSTIN. de LL. Rom.
sub his vocibus, angustius est, et nonnisi ad pecunias publi-
cas, inprimis praesidibus prouinciarum ad erogandum datas
pertinebat; cum e contrario nomen germanicum *Vnereschlagung*
des anvertrauten guts aliquanto latius sit, et eorum etiam
crimen contineat, qui absque iuris iurandi religione alienas res,
creditas sibi, surripunt, quod ad ipsa quoque deposita referri
potest, quemadmodum praesertim interpretes articulum CLXX.
legis criminalis Carolinae explicare solent, KRESSIVS *ad b. l.*
Pari modo nec furti nomen conuenit, vt mox videbimus. Hunc
vero nominis defectum tantum abest, vt ipsius criminis raritati
tribuendum putemus, vt potius nihil certius sit, quam hoc: nullis
in terris tam seueras ob eius frequentiam poenas in hoc delictum
constitutas esse, quam in Electoratu Saxoniae. Exstant vero in
primis quatuor leges huius rei causa latae: I.) Constitutio, quae
est in notissimo Constitutionum Saxoniarum corpore, d. XXI.
Aprilis anno 1572. ab electore Augusto, summo illo Saxonum

A 2 in b. l. omnia by legis-

* Corollarium primum et secundum vide in programmate ad solennia
Doctoralia clar. Deutschaenderi anno 1770. tertium vero et quartum
anno 1772. cum consult. Compars doctoris titulo ornaretur.

IV

legislatore, vid. CAR. FERD. HOMMELII *diff. de legisl.*
Augusto, promulgato, partis quartae vigesima prima, et vocatur in specie: *Churfürst Augusti constitution vom anvertrauten gute*, vel simpliciter *die constitution vom anvertrauten gute*; II.) eiusdem Augusti de eadem re constitutio d. 10. Oct. 1584; quae III.) vix post tres annos reperita est ab Electore Christiano, d. 26. Jun. 1587. IV.) noua Regis ac Electoris Friderici Augusti lex, d. 26. Sept. 1705. quae anterioribus quasi palmam praeripiuit, et singulare nomine *die geschrifte constitution vom anvertrauten gute* appellatur. Eam denique confirmavit V.) simulque omnes cauillationes reprimere ac delinquentium subterfugia etitere studuit Mandatum Xauterii, Administratoris Electoralis, d. 17. Dec. 1767. promulgatum.

Distinguamus ante omnia hoc crimen a furto tum in uniuersum, tum ab eo, quod, et si male, rerum concreditarum vocant, quamuis cum utroque haud parum conueniat. Furtum non committitur nisi ablatione rei alienae, lucri causa, ex custodia aliena; sic enim hodie definiri debet, non ut vulgo fit ex iure Romano, *contraftatio*, cf. CL. PÜTTMANNI *ius crim.* §. 420. CARPZ. *pr. crim. P. II. qv. 85. n. 12.* at res concreditae iam in manibus sunt surripiens, qui in eo praecipue peccat, quod eas dominio non reddit. Sic, quando trituratores frumentum ex horreo surripiunt ac domum ferunt, nunquam solemus eos ut fures punire, sed arbitrarie, tanquam stellionatus reos, CARPZ. *pr. rer. crim. P. II. qv. 81. n. 43.* seq. BOEHMER. *ad b. l. Obf. 3.* HOMMEL Rbapf. *Obf. 29.* Si quis fator de dato sibi ad vestimentum conficiendum vel panno vel holo-serico, aut molitor de frumento partem retineat, male quidem agunt, sed furtum non committunt, rerum crimen, quamuis non rarius furto, lenius tamen censura; sic etiam fullones, aut quibus linteal purgandi causi dantur, et huius generis alii homines. Olim nec famuli nostri mercenarii

facile

facile furtum committebant, nisi pecunias, vel res ex ipsis forte dominorum arcis auferrent, at, quando vestimenta, linteas, stragulas, edulia, instrumenta eius causa comparata, aut similes res sibi vel custodiae vel alius usus causa creditas suripererent, furti non tenebantur, CARPZ. Lib. c. P. II. qo. 82. n. 52. seq. A Y-
RER. diff. de furtio domes. quod tamen in Saxonia mutatum per Const. El. 38. P. IV. et Mandatum ao. 1710. aduersus fures et raptore datum. Quodsi vero omnes rerum alienae custodiae traditarum interceptiones sub hoc crimine comprehendere velimus, vereor, ne depositum quoque et malas tutorum administrationis eo referre debeamus. Est igitur id, de quo nunc dicimus, delictum, iuri criminali Saxonico proprium, et continetur subtraktione ac in usus proprios conversione rerum vel pecuniarum fidei alicuius concreditarum, praesatio prius iuramento de hoc non faciendo. Ita enim iuriandi religio, quae ex praescripto Constitutionis intercedere debet, hoc delictum ab omnibus reliquis distinguit. In primis vero notandum, non omnem religiosam obligationem sub muneric vel negotii auspicia, in hoc delicto rem confidere, sed mentione simul huius Constitutionis, der verpflichtung auf die Constitution vom anvertraeten gute opus esse, hoc est, iurare debet: se concreditas sibi pecunias sub poenis in hac constitutione expressis non fraudatur.

Videmus itaque hic duo delicta concurrere, furtum, sensu generaliori pro omni contrestante rei alienae lucri causa, acceptum, deinde perjurium. Poenam habet neque furti, neque perjurii, sed peculiarem sibiique propriam, scilicet proximo et summa factae defraudationis, si haec centum florenos misficos attingit, capitalem, si quinquaginta, fustigacionem, si vero ultra triginta, viginti, vel decem ascendit, perpetuum si minorem summam complectitur, decem quin-

quenie annorum, carcerem, per verba constitutionis de anno
1705.

Hoc crimen committitur vel in re certa vel in pecunia,
vtraque vel publica vel priuata. Non solum enim plerique
eorum, qui aliquo munere publico, cum recipiendis expen-
dendisque pecuniis coniuncto, funguntur, iureiurando de eui-
tanda perfidia obstringi solent, sed etiam vnicuique priuato, cui
animus est res suas alii concedere, licet, hunc iuris iurandi re-
ligione ad abstinentiam ab omni defraudatione eo magis com-
mouere, quod hanc efficaciam habet, ut, quando concreden-
tem sit defraudaturus, criminis, in rubrica huius scriptioris no-
minati reus fiat. Vnde quatuor priores leges Saxonicae supra
memoratae, post varia publica munera enarrata, addunt: *ein*
jeglicher ander, so zu einem amte und gewisser verrichtung,
*bey welchem er von unsern oder eines andern wegen -- einzuneh-
men, zu verwahren, oder zu administriren hat, et in lege*
*recentissima: jeder andre, der fremdes geld und gut einzuneh-
men, zu verrechnen und zu verwalten verordnet werden soll, auf*
die geschärfteste constitution vom anvertrauten gute verpflichtet
wird. Neque adeo opus esse videatur, ut in officio aliquo sit
vel publico vel priuato constitutus, verum cuicunque ab al-
tero aliqua opera committitur, siue ad eam munere suo aut
seruitio tenetur, siue eam voluntarie suscepit, iureiurando
praestito, *durch verpflichtung auf die constitution vom anver-
trauten gute, criminis contra hanc perpetrati accusari poterit.*
Quapropter non dubium est, si quis velut vel rerum oecono-
micarum suarum directorem, *Haushofmeister, Verwalter,* vel
syluae praepositum, *Fürster,* vel hortulanum adeo, vere dum
aut coquam, aut si qui alii sunt huius generis homines, de-
fraudationibus adsceti, iuramenti religione a fraudibus arcere,
id vnicuique licere, vnde manifestum est, hoc delictum vel publi-

cum

cum dici posse vel priuatum; pro persona eius, in quem committitur. Iusurandum vero, quemadmodum iam vidimus, ad essentialia, ut dicunt, huius delicti omnino pertinet. Qui enim illo non obligatus defraudat, simpliciter defraudat, non autem defraudat aduersus istam constitutionem; quod innuant verba dictae legis de ao. 1705. *wer geld, korn, holz, getreyde und anders einzunehmen bat, und deshalber in pflicht genommen.* De cetero hoc crimen plerunque ab administratoribus committitur, quippe qui tripliciter defraudare solent² vel alienas pecunias recipientes, et quod detractis vere expensis residuum manet, domino non tradentes, vel in rationibus minus inter accepta, vel denique in iisdem plus inter expensa, quam vere receptum aut expensum, conscribentes, quod vero in vtraque hac specie deest, ad usus suos converentes, K R E S S. ad Nem. Carol. art. CLXX. §. 3. Praeter hos vero etiam ii, qui alienas res non administrant, verum possident tantum, vtrisque recte in rationes illatis; huius criminis rei esse possunt, si v. g. frumentum triturantes aut dispensatores elemosynarum, aut caedendi lignis, colligendis frugibus occupati, aliquae eiusmodi homines de euitanda in negotiis suis defraudatione iurarunt.

Religio itaque iurisiurandi, dum in hoc crimine necessario requiritur, disceptari solet, coram quoniam iudice iurari debeat? Primo quidem non dubitamus, hanc rem ad voluntariam iurisdictionem referre, ita, ut quilibet iudex imploratus hanc iuramenti obligationem, die verpflichtung expedire queat. Cum enim nemo ad munus negotiiumue suscipiendum, quo cum recipio rerum pecuniarumue coniuncta sit, cogi queat, ita nec magis ad praestandum ea de causa sacramentum, unde cum eo, in cuius securitatem obstringendus est, de ea re contrahit, adeoque volens adire iudicem et pacienti secum iurare deberet, quod fieri potest coram quocunque iudice, eo etiam, qui prius

prius iurantis aut eius, cui iuratur. In ipso actu iurandi actuarii iurati nullo modo abesse possunt, quia nemini, nisi qui ad registraturas conficiendas iurecurando obstritus sit, fides habenda, Ord. proc. rec. ad tit. II. s. 5. quapropter eiusmodi actum nec coram notario peragi posse censens, nec coram solo praefecto, nisi forte et hic de registraturis recte conficiendis iuraverit. Vnde cum anno 1778. in praefectura Merseburgensi in hominem quandam, qui concreditarum sibi chartarum signatarum partem non minimam surripuerat, inquirendum esset, sic iudicarunt Seabini Lipsienses: *Dass vor allen Dingen die eydesnotul, nach welcher I. H. W. als einnehmer der imposten vom Stempelpapier, Spielcharten und calendern von einer vereydeten Person benefit der über sothane verpflichtung selbst gehaltene registratur zu denen aeten zu bringen.* At vero de iudice ipso, coram quo iuramentum praestandum, dubitatio adhuc superest, saepiusque memini quaeri, anne is pecuniae concreditae defraudator, qui sacramento se constringi passus est, coram summo camerae electoralis vel steuare publicae collegio aliquo principis reddituum senatu, aut vero coram subdelegatis dictorum reddituum curatoribus, vel quaestoribus, dem oberpostamte, denen accis- und gleits - commissarien, inspectoren und einnehmern, ingleichen creys- und andern steuereinnehmern, aliisque his similibus, ex constitutione de rebus concreditis teneatur? In cuius rei decisione id in primis considerandum nobis videtur, vtrum is, de quo, an alterum recte iuramento onerauerit, quaeritur, aliqua iurisdictione gaudeat? Nam cui nulla est iurisdictione coram eo nec voluntariae iurisdictionis actus exerceri possunt, si quidem priuatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli praefest iudicio, l. 3. C. de iurisd. omn. iud.. Si quis igitur sit, qui ex nobis quaerat, sufficiatne iuramentum a fraudatore, sub auspicio munericoram

supra

supra nominatis delegatis redditum curatoribus aut quaestori-
bus praefitum, ei aliter respondere non possumus, quam, vix
videri sufficere, quoniam illis viris aliqua iurisdictio attribui
fere non possit. Nam quamvis penes praefecturas postularum
Liphsiae, Dresdae, Budissini ac Lubbenae aliqua cognitio sit de
rebus in cursu publico perditis, *Postordn. de ao. 1713. §. 45.*
quemadmodum et acciārum commissarii ac inspectores circa
defraudationes vestigalium ac iniurias acciārum ministris illatas
cognitionem habent, *Rescr. d. 25. Ian. 1723.* cum potestate im-
mediate citandi, *Mand. d. 31. Mart. 1703.* praetereaque iis
omnibus facultas concessa sit, inferiores ministros carceris poena
coercendi, ope proximi praefecti ac rogato huius carcere
Rescr. d. 3. Oct. 1765. tamen vix inde aliqua iuris dicundi pote-
stas vel iurisdictio colligi posse videtur. Nam aliud est, a prin-
cipe vni pluribusue curam atque inspectionem quorundam eius
redditum iniungi, aliud, iurisdictionem mandari, quod in du-
bio factum non putatur, cum iurisdictio sit particula maiestas-
tis, quam nemo habet, nisi eam diserte a principe acceperit,
STRYCK. vs. mod. L. II. t. I. §. 6. et 27. ZIEGLER de iure
maiest. L. I. c. 29. §. 11. In regula iurisdictio non nisi iure ma-
gistratus competit, *L. I. D. de off. ei. cui mand.* et ipsa quoque
voluntaria iurisdictio iure magistratus exercetur, *MENCKEN*
Pand. L. II. t. I. §. 2. STRYCK. vsu mod. L. et t. eod. CARPZ.
P. III. c. 3. def. 21. ac nemo, qui iurisdictionem non habet,
potest auctum iurisdictionis exercere. Quid quod? leges Saxo-
nicae diserte praecipiunt, ut quando cursus publici ministri
iureiurando vel in viuersum, vel in specie, sub comminatione
constitutionis de rebus concreditis, obligandi veniant, id a
praefectis Electoralibus, tum Lipsiensi, tum reliquis fieri de-
bere, *Postordn. de a. 1713. §. 29. Rescr. d. 27. Oct. 1684. Ver-*
ordn. d. 20. Mart. 1749. et 2. Inn. 1750. secundum Rescripta
electo-

electoralia ibi allegata. Non ergo mirandum, si dicasteria, quando de eiusmodi defraudatore capit is puniendo agitur, in modum, quo sub initium suscepit muneris vel negotii iureiurando obligabatur, tam sollicite inquirunt, cum ea obligatio, ut vidimus, ad formam huius criminis pertineat. Quid vero dicendum, cum sacramenti formula recitata est in summo ipsius serenissimi Electoris Regimine aut Camera etiam, vel alio redditum publicorum senatu, conscribente rem gestam Secretario? Si, quae leges circa hanc iuramenti praestationem praecipiunt, in primis vero ea, quae recentissimum Mandatum d. 17 Dec. 1767. iubet, omnia rite obseruantur et peraguntur, nobis plura desiderari non posse videntur, quamvis hinc inde in dicasteriis alias sententiam praealuisse non ignoramus. Etenim princeps fons est omnis iurisdictionis, *STRYCK vs. mod. L. II.* *L. I. f. 6.* a quo in omnia iudicia promanat, *LVDOV. a PEGVERA dec. 36. no. 1.* quapropter non potest non eiurisdictio inesse, a quo omnes, quicunque eam optant, accipere debent, et mirum profecto foret, eiusmodi religiosam promissionem coram omnibus iis fieri posse, quibus princeps iurisdictionem concessit, coram ipso vero principe non posse. Scio quidem esse, qui dubitationem a discrimine inter collegia iustitiae et redditum repetendam censent. At vero non putamus, subditorum esse, in hanc interiorem diuersorum senatum naturam, et data cuiilibet separata negotia inquirere. Potius singula collegia eiusdem sunt principis, qui in vnoquoque regnat, et per vnumquodque imperat, in primis quando nomen ac titulum eius gerunt, ac quod principi placet, legis habet vigorem, *L. I. D. de princ. confit.* Quia de re temerarium videatur, ipsi, per quemnam senatum administratori suo iuramenti religionem imponere debeat, praecipere, cum potius conueniens sit, id per eum fieri, cui mox rationes reddendae sunt. Cui rei et inde

inde aliquid roboris accrescere videtur, quod constat, cum ipsos praefectos, tum eorum actuarios in ipsa Camerae Collegio ad administrandam iustitiam iuramento confirmari, argumento haud leui, ab hac non omnia, quae ad iustitiam pertinent, abesse. Hinc, quicquid alii sentiant, nobis admodum probabile atque adeo certum videtur, quemlibet principis officialem recte ac legitime a quolibet eiusdem Collegio, sive iustitiae praesit sive fiscis, isto iuramento affici posse; hoc solo pro necessitate obseruando, ut Secretarius, vel quoconque alio nomine insigniantur, ipse ad res a se peractas rite conscribendas (ad registrandum appellant) iureirando obstrictus sit; neque sufficere videtur, si iste Secretarius tantum de recipiendis sine fraude redditibus, non etiam de eo, quod agitur, litteris mandando iurasser; quod tamen, ut in inferiorum iudiciorum actuariis, ac semper pro legalitate, sic etiam illuc presumendum putamus, nisi quedam concurrant, que huic presumptioni obesse videantur.

Inter varia singularia, que circa hoc crimen obueniunt, hoc etiam reperitur, quod legis ignorantia excusat, et peculiaris ratio, qua ut huic excusationi obuiam eatur, legislator voluit. Leges alias semper loqui presumuntur, et nemo vilius criminis reus potest se a poena liberare dicendo, se legem, contra quam peccauit, ignorasse, l. 11. §. vlt. D. de bis qui not. inf. l. 12. C. de iur. et fact. ignor. l. 9. C. d. legib. potius omnes subditi ad scientiam legum obligantur, l. 9. C. de legib. l. 12. C. de iur. et fact. ign. ac omnes sive ciues et incolae, sive aduenae et hospites in iis, quae alicubi agunt, ex legibus ibi vigentibus iudicantur, STRVV. S. I. C. Ex. II. §. 1. 2. ibique MÜLLER. At in Mandato de 17 Dec. 1767. omnes ignorantiae excusationes diligenter praeciduntur, eoque consilio certae quedam solennitates praescribuntur, quibus demum adhibitis reus se ignorantia tueri nequeat: *Wie nun die verpflichtung auf diese vorgeeschriebene art erfolget, so soll derjenige, welcher wider diese constitution ein verbre-*

XII

verbrechen begehet, mit dem vorwand, als ob ihn der Inhalt
 der geschriften constitution unbekandt gewesen, — — weiter
 nicht gehöret, noch im sprechen darauf gescheren werden. Quem
 admodum itaque, quod mox de legum ignorantia diximus, id
 tum exceptionem haber, si huius vel illius legis peculiaris
 aliquis modus praescriptus sit, quod v. c. obuenire solet in infan-
 ticidis, quos meminimus aliquando a poena ordinaria liberari,
 cum Mandatum de 14 Okt. 1744. in ipsarum domicilio non
 esset de suggestu sacro recitatum demonstrassent: sic et hic ad litte-
 ram omnia obseruanda sunt, quae legislator necessaria duxit in
 ipsa sacramenti praestatione fieri, eo consilio, vt iuranti duri-
 ties poenae satis cognita fieret; quapropter iudices diligenter
 caueant, ne vnum horum omittant, ne alias in futura inquisi-
 tione reus non rite iurasse credatur. Sunt vero quaedam praee-
 standa ante iuramentum, quaedam post iuramentum, quorum
 neutrum abesse potest. Placer istorum iudicum causa singula
 enarrare, I. ante iuramenti praestationem, debet (1) iuraturo
 Constitutio de rebus concreditis sub die 26 Sept. 1705. ver-
 borenus praecagi, (2) praelegendum ipsi est Mandatum ad eius
 vltiorem expositionem d. 17 Dec. 1767. promulgatum; (3)
 quod ea praeleccio facta sit, ipsi iurisurandi formulae inferen-
 dum (4) in eadem formula res pecuniae, in qua recipienda
 vel expendenda fidem iurato promittit, die Einnahme, auf die
 er verpflichtet wird, denominanda est (5) iuraturi manibus ex-
 exemplum dictarum ad no. 1 et 2. legum vel typis expressum vel
 descriptum tradendum, quod etiam ante ipsam iuramenti prae-
 stationem fieri oportet. Nunc sequitur II. ipsa formulae iuris-
 urandi recitatio, consuetis solennitatibus, qualem, ne et hic
 iudicibus locus errandi relinquatur, apponamus. Ich Christi-
 an Titius schwöre zu Gott dem allmächtigen, dass, nachdem ich
 auf dem gute Tusculanum zum verwalter angenommen worden
 bin, ich in diesem meinem amte mich allenhalben gebührend ver-
 bal

halten, (der mir dieserhalb ertheilten instruction, so ich durchlesen und wohlverstanden, unverbrüchlich nachkommen) insonderheit mit denen einzunehmenden geldern, getreyde, früchten und viualien getreulich umgeben, und davon bey vermeidung der in der constitution vom anvertrauten gute vom 26 Sept. 1705. und deren erläuterungs-mandate vom 17 Dec. 1767. gesetzten strafe, als welche beyde landesgesetze mir anierzt, vor gerichte deutlich vorgelesen worden, nichts unterschlagen, veruntrauen noch in meinen nurzen verwenden will. So wahr mir gott helfe u. sein heiliges wort! tandem III. post iuramentum requiritur (1) vt registratura conficiatur de iureiurando praefrito, (2) in ea simul mentio fiat, ei, qui iurauit, esse exemplum, vnum constitutionis sub die 26 Sept. 1705. alterum dicti Mandati sub die 17 Dec. 1767. traditum, (3) haec registratura ipsi, qui iurauit, praelegenda (4) in eadem, quod haec praelectio facta sit, annotandum, denique (5) eidem registratura ab eo, qui iuravit, nisi litterarum imperitus sit, nomen suum subscribendum.

Interdum fit, vt huius criminis rei fiant, qui per multos iam annos, et diu ante promulgatum d. 17 Dec. 1767. Mandatum in officio aliquo, cum rationum redditione coniuncto, fuerunt, adeoque sic, vt praescriptum est in hac lege, atque operuatis iisdem solennitatibus sub initium muneris non potuerunt iureiurando obligari. De his nihil ibi disertis verbis dicitur, nisi quod §. vltima addatur, in inquisitionibus, demum post publicationem huius Mandati futuris, esse praecepta paragraphi 1. 2. 3 et 4. reliqua vero etiam in iis, quae tempore publicationis iam coptae erant, obseruanda. Quapropter distinguendum inter tempora, quibus eiusmodi vetusti administratoris defraudationes factae sunt. Quodsi igitur pecunias interuerit ante saepe dictum Mandatum, solummodo punitur ex Constitutione Augusti de anno 1705. si nempe sub muneric auspicio iuriandum cum mentione allegatae Constitutionis iurauerit

wenn er nur auf die constitution vom anvertrauten gute verpflichtet ist, non habita ratione recentioris legis, quamvis tempore inquisitionis iam publicatae; quippe quae ante promulgationem eum non obligabat, post publicationem, ut supra vidimus, omissis solennitatibus ignorari poterat. Quod enim ad illud attinet, leges nisi nominatim de praeterito tempore, et pendentibus negotiis caueant, tantummodo futuris certum est formam dare ut dicunt Imp. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS l. 7. C. de legib. nec peccauit quicquam antiquitas, ut ait IUSTINIANVS, quae inscia legis praesentis pristinam secuta est observationem. At vero, quod ad eas defraudationes pertinet, quae quidem simul in istam inquisitionem diuturni administratoris veniunt, sed ab eo demum post promulgationem Mandati de 17 Dec. 1767. perpetratae, earum causa, quantaecunque sint, nunquam poterit capite plecti, deficientibus solennitatibus, in eodem Mandato ad declinandam ignorantiae exceptionem requiritis. Quapropter consulendum est singulis iudicibus, in primis vero praefectis, ut omnes eos, qui iam antefinem anni 1767. aliquod officium, vi cuius pecunias resue alienas accipere et expendere debeant, suscepserunt quamvis iam sub initium eius praefrito iuramento, nihilominus tamen denuo iurisurandi vinculo, seruatis ex aste supra recentis solennitatibus, ligent, ne ipsis occasio relinquant excipiendi, vel verusta muneris ad delinquendum profit, neue, ut veteranis militibus olim aliquod priuilegium poenarum datum erat, l. 1.3. D. de veteran. sic et hodie idem sit veteranis defraudatoribus. Nec benefaciant, qui ad euitandam forsitan iuramentorum multiplicationem in sola publicatio- ne nouae legis persistunt, quamvis simul exemplar eiusdem tradatur, neque commemoratio praestiti iam olim iuramenti, *verweisung auf vorige pflicht*, sufficit, sed ipsa noua et repetita solenni re-citatione iuramenti formulae opus est, cum, quod leges pro forma praecipiunt, in eo aequipollens non sufficiat, BERTOCH. prompt.

promit. iur. hac voce. Haec, et quae antea de solennitatibus
 iuris iurandi ex recentiori Mandato diximus, haud parum illu-
 strari possunt duabus sententiis anno 1771. ab Ordine nostro,
 ad interrogationem commissariorum electoralium Annae monta-
 nensium, in causa aduersus duos accusarum receptores, qui inde a
 viginti ac pluribus annis hoc officio functi erant, pronunciatis;
 in quarum prima, ante ferendam de poena sententiam prius in
 sequentia inquirendum censuimus: *Dafs vor allen dingen, ob*
und auf was weise beyderseits inquisiten nach publication des un-
tern 17 Dec. 1767, wegen einschärfung und erläuterung der con-
stitution vom anvertrauten gute ins Land ergangenen mandats,
darauf nach der darinnew §. I. enthaltenen vorschrifft anderweit
verpflichtet, und ob bierbey allen halben die in angezogenem er-
sten §. angemerke erfordernde beobachtet worden, nachricht und
die darüber gefertigte registraturen in originali oder beglaubiter
abschrift zu denen athen zu bringen. Cum vero, transmissis
 iterum Aetis ad Collegium nostrum videremus, ista non ita gesta,
 uti speraueramus, reo vtrique, quamvis satis magna defraudatione
 facta, non nisi poenam erga stuli in quatuor annos dictabamus,
 addiis his rationibus: *Obwohl beyderseits inquisiten die ibnen*
beygemessene unterschlagung der anvertrauten accis-gelder und
zwar in einer beträchtlichen menge unbewunden eingeräumet, der-
gestalt, dafs M. allein 623 rtblr. 18 gl. B. aber 529. rtblr. 16 gl.
veruntrauet, und der churfürstl. cassé entzogen zu haben, zu-
gestanden. — — biernächst das untern 17 Dec. 1767 zur er-
 läuterung und einschärfung der constitution vom anvertrauten
 gute gnädigst ins land ergangene mandat denen inquisiten am
 21 Jul. 1768 behörig publiciret, idem ein exemplar davon ausge-
 antwortet, und sie darauf ver- und angewiesen worden, beyde auch
 solches selbst bekannt; dennoch aber und dieweil in obangezoge-
 nen mandaten §. I. ausdrücklich verordnet, dafs künftighin dem-
 ženigen, welcher auf die constitution vom anvertrauten gute
 ver-

XVI

verpflichtet wird, vor wirklicher leistung nicht nur angeregte constitution vom 26 Sept. 1705. selbst, sondern auch vorderührtes erläuterungs-mandat deutlich vorgelesen, auch in der eydesnotul, daß solches geschehen, ausdrücklich erwähnet, nicht weniger, die einnahme und verwaltung, in ansichtung deren er auf die constitution verweisen wird, benennt werde, woraus folget, daß wenn inquisitien nach der schärfe angeregten mandats und der darinnen erwähnten constitution gerichtet werden sollen, eine anderweitige verpflichtung darauf, und dabey eine pünktliche beobachtung aller überzählter vorschriften geschehen sollen; wannenhero die alleinige publication oft bemerkten mandats und zustellung eines exemplars davon keinesweges hinreichend, um die todesstrafe darauf zu richten, je mehr zu ende eben dieses gesetzes, daß das, was §. 1. 2. 3. und 4 enthalten, hauptsächl. für das künftige im sprechen zu attendiren, vorgeschrieben; solchemnach alle von beyden inquisitien nach dem 17 Dec. 1707. verübten unterschleife selbigen zur lebensstrafe nicht anzurechnen,—vielleicht die rücksicht blos auf diejenigen zu nebmen gewesen, welche in die zeit vor dem 17 Dec. 1707. fallen, hiervon aber wiederum zuförderst der mahlgroschen, und der neue impost von auswärtigen feilschaften abzurichten, als auf derer einnahme sie nicht insbesondere verpflichtet, sondern blos auf vorige pflicht verwiesen worden, welches jedoch zur capitalität nicht hinreichend.

Plura adhuc dici possunt de hoc criminis ac forte prope diem dicuntur. Nunc indicenda est solennitas summorum in iure honorum, qui candidato dignissimo,

FRIDERICO PRASSE
mox instant.

Natus est Misnae a. d. VIII. Kal. Aug. anno salutis redemptae MDCLIV, patre FRIDERICO GUILIELMO PRASSIO, Praefecturae Circuli Misnen sis Inspectore, quem virum inter ceteros probum, cordatum et admodum honestum noui, matre CHRISTIANA ELISABETHA, natu HORNIA; quibus quidem optimis dilectissimisque parentibus, tantum

tantum se debere profiteret; quantum hominem homini debere fas sit.
 Vtque ad annum aetatis decimumquintum domesticos habuit praecceptores;
 sed abhinc scholam, quae patriam ornat urbem, coepit frequentare pro-
 vinciam, ibique HOERIO, GOTTEBERO, CLEEMANNO,
 MÜLLERO; SCHREGERO et KLIMMIO, per integrum quinque-
 nium frequens auditor ad sedet, usus simul institutione priuata SCHRE-
 GERI, cuius tum in tradendis bonis literis industriam, tum in custodiendis
 regendisque morum integritate diligentiam satis se laudare non posse
 dicit, laetaturque sibi eodem tempore licuisse, ex ore KLIMMI iunio-
 ris Medicinae Doctoris mathematicas artes, et ex ore SILCHMÜLLERI,
 nec minus Medicinae Doctoris, iam vita funsti, linguam Anglicanam, a
 GAMETIO vero linguam Franco-Gallicam percipere. Anno aetatis
 vigesimo una cum fratre ADOLPHO GODOFREDO, praefecto iam Merseburgensi, Lipiam commigravit, Rectore venerando
 PLAZIO in numerum Studioorum receptus. Scholis philosophi-
 cis interfuit primum CRVSII post ZWANZIGERI, demum PLAT-
 NERI. Archaeologiam et antiquitates Romanas interpretatus est ipse
 ERNESTIVS. Ius naturae, Institutiones, Pandecten, Ius Germanicum
 aequo ac Canonicum, nec non rationem discendi docendique Iurispruden-
 tiam audiuit iteratis vicibus ex SCHOTTO. Easdem institutiones, jus
 Criminale et principia processus docuit SEGERVS. Historiam, et pa-
 triae quidem et Imperii Rom. German. BOEHMIVS, uniuersalem
 et ecclesiasticam, vero, IO. AVG. ERNESTIVS, notitiam Saxo-
 niae FRANCIVS (en! tria nomina vix uno anno academia nostrae
 lugenda diu morte erupta) expousit. Porro WOLLI scholis cum su-
 per Struvii Iurisprudentia tum examinatorius ac disputatorius interfuit.
 BIENERVS ius feudale et publicum Imp. Rom. Germ. SAMMETIVS
 publicum uniuersale, atque Legationis nec non Hermeneuticam iuris,
 BREVNINGIVS denique ius militare, Processum et Boehmeri de Actio-
 nibus libellum explanauit, dum Magnificus nunc FVNCKIVS Astrognos-
 iam doceret. Sic quatuor fera annis et quod excurrerit peractis et defen-
 sa sub Praesidio Bieneri dissertatione de Territorii subalternis, supe-
 ratoque apud Ordinem nostrum pro Candidatura et proximi examine, Dres-
 dam se contulit, ibique potissimum causis forensibus perorandis coepit
 operam dare, qua quidem in re sibi admundum gratulatur, quod insi-
 tutione et disciplina FLORIANI AVGVSTI REICHELII I. V. D.
 viri in omni diuinarum humanarumque rerum scientia longe exercitassimi,
 nuperque in prouocationum Senatum cooptati, fruisbiliuerit.

XVIII

Nunc ad altiora progressurus nos iterum adiit, rogauitque ut ipsi summos in iure honores tribueremus. Cui desiderio deesse nullo modo potuimus, postquam in solenni examine, quod rigorosum vocant, iurisscientiam suam et eruditionem denquo, si quis vñquam, fatis et abunde probauit. Eius igitur rei causa die proximo mercurii hora II. post meridiana legem a. Cod. Quae sit longa confutudo, publice in auditorio nostro interpretabitur, mox sequenti die Louis autem differentiationem inaugurelam, quam Animaduersiōnē forensium specimen inscripsit, absque praeside defendet, quo facto Vir summe reverendus et illustris FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER, Eccles. Cathedr. Merseburg. Capitular. Curiae supr. Sax. Assēs. Codicis P. P. O. Facultatis nostrae Senior et acadēmiae Decemvir, in quem ego rite constitutus Procancellarius hoc munus detuli. Candidato summos iurisprudentiae honores, cum omnibus iuribus ac priuilegiis huic dignitati annexit, sola spe, in collegio nostro quondam assidendi, excepta, concedet, cumque Doctoris titulo solenniter ac more maiorum ornabit.

Cui solemnitati si RECTOR ACAD. MAGNIF. CELSISSE-
MI PRINCIPES, ILLVSTRISSIMI COMITES, GRAVISSIMI
VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSSI-
MI denique AC NOBILISSIMI CIVES frequenter interesse, suaque
praesentia splendorem addere velint, id quod maximopere et cum
omni obseruantia rogo precorque, facient et rem Ordini nostro mihiique
gratissimam, et a Candidato summa diligentia demerendam. Scribe-
bam dominica II. post Fest. Epiphanias anno MDCCCLXXXII.

LIPSIAE, EX OFFICINA KLAUBARTHIA.



1078

ULB Halle
005 361 494



3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

Farbkarte #13

ORDINARIVS

D. CAROLVS GODOFREDVS
DE WINCKLER

N V N C

PROCANCELLARIVS

SOLENNIA INAVGVRALIA CANDIDATI

F R I D E R I C I P R A S S E

ADVOG. SAX.

A. D. XXIV. IANVAR. A. MDCCCLXXXII.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

C E L E B R A N D A I N D I C I T

I N E S T

C O R O L L A R I V M I V R I S C R I M I N A L I S

Q V I N T V M.

